ΕΡΩΤΟΠΑΙΓΝΙΟΝ ΡΙΥΜ.

Continens

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS: et *Psalmos aliquot selectiores* vna cum quibusdam aliis Poematis è sacris Scripturæ fontibus petitis.

Item Elegia gratulatoria in honorem illustrissimi *Heroïs* CAROLI HOVARDI, Comitis NOTINGAMIAE, 23. Octobris, 1597. meritissimè creati.

Operâ & studio

GVLIELMI VAVGHANNI *Maridunensis.*

LONDINI:

Apud Richardum Iohnesum, *Typographum*

Inconcussa velut manet annis anchora multis,
Hacque labante labat mersa carina mari:
Sic Hovarde tuos suffulcis amicos,
Succurrisque, nites & [illegible] intus ōlen.
Hinc præclare Comes, nobis es comis, es almus,
Totus lux, totus gratia, totus amor.

45.6.30.767
BRITISH MUSEUM

NOBILISSIMO

ET ILLVSTRISSIMO DNO. D. CAROLO HOVARDO Comiti Notinghamiæ, Baroni Effingamiæ, supremo Angliæ Admirallo, &c. Aureæ Periscelidis equiti Serenissimæque reginæ ELIZABETHAE a Consiliis; & Mœcenati suo pié colendo.

VErissimum est vetus illud Epicharmi elogium,

οἱς αν τῆ φυσεῖ
Αγαθον ὑπαρχει μηδεν οἰκειον προσον
Εκεισε καταφευγουσι εις τα μνηματα

id est

Queis negat externas natura puerpera gazas,
Ad monimenta simul fugiunt & nobile stemma.

Cum enim ad amplitudinem tuam (non minus natalitii nobilitate, quam virtutis splendore spectabilis Comes) nuper accesserim; ea me (licet immerentem) verbis quam humanissimis nõ solum tractare, verum etiam meis votis libere annuere, dignata est: Ita vt iam existant tam multa & tam magna tua beneficia, quæ me adeo deuinctum tibi tenent, vt si inextricabiles labo

rum labyrinthos pro tuâ vnius incolumitate subi-
rem, vix minimæ eorum parti satisfacere videar.
Sed quoniam huiusmodi prouinciam suscipere
non est necesse, hunc libellum, instar viduæ pau-
peris minuti, amoris certissimum σημεῖον tuo
Honori offerre decreui: quando ob fortunæ meæ
tenuitatem, aliâs tuis munificentissimis meritis re-
spondere non potuerim: Ac (penè) perpetuus
studiosorum mos extiterit, suos Mœcenates
chartaceo honorare munusculo, nec ipse ineptè
me facturum existimaui, si hoc chartaceum, chri-
stianum tamen, munusculum tibi nobili Christi-
ano, consecrarem; non dubiâ allectus spe, te om-
nibus virtutis dotibus, fortunæque muneribus
scaturientem, neminem magis quam Poetam (si
tanto nomine meipsum insignire audeam) inge-
nuum ingenii sui fœtum, in tuos tutelares sinus
committentem æstimare. Verum enimuerò cùm
mecum paulò altiùs reputo, quàm tetrica sit doc-
torum in iudiciis seueritas, qui, quæ illis obiici-
untur, rationis staterâ perpendunt, & quàm fu-
tilis multitudinis in assensu temeritas, quæ singu-
la opinionis trutinâ diiudicat; parum certè abest
quin abortiuas has meæ adolescentiæ primitias
adeo me & Morionum & Momorum deterrent

spi-

ſpicula) Vulcano deuouerim. Inerebeſcit vulgò C. Lucilii dicterium, quo, ea quæ ſcriberet, neque in manus doctorum neque indoctorum peruenire uellet, quòd hi nihil intelligerent, illi plus forſan expectarent quam ipſe ad amuſſim præſtare poſſet: Idem etiam mihi eſſet maximè optandum, vt nemini meam in literis ſterilitatem (vt ita dicam) ac imperitiam proderem. Quod certè feciſſem, niſi tu (illuſtriſſime Comes) inter cæteros, mihi, quàm infandum crimen ſit ingratitudo, quàmque inhoneſtum noſmet erga eos, quorũ præſidio iam plerùnque fuerimus adiuti, ingratos reddere, conſiderãti, compenſandus occurrebas. Sed (proh Deum) quam multi inueniuntur proci Penelopes, ſpiritu vertiginis (mi falior) & diſſentionis adacti, inexhauſtæ malitiæ homunciones, qui conuitiis ac probris in nos inſurgunt, Poëſin in exilium eiiciendã exclamant, & Poëtas damnandos, explodendos, & eliminandos vociferantur, quaſi Reipublicæ peſtes, ingenij corruptores, & homines ſole ac cœlo intercludendos, cauſantes. Papæ! iugularunt vates.

O hominum ignaræ mentes! o pectora cœca

Sed qui sunt hi tam acutuli ardeliones qui quadrigis, contumeliis onustis Poëtas hostiliter insequuntur? Cur eos a bonorum cœtu, & ciuili societate proscribendos autumant? Nonne sunt asini, rudere magis quam loqui callentes, qui cœteros omnes secum sordere luto cupiunt? nempe homunculi profligati in Epicureorum hortis apricantes, qui ideo in Poëtas invehunt, quoniam ad Poësin, vt ad solem noctuæ caligant? Vnde verum est illud: *Scientia non habet inimicum præter ignorantem.* Quiescant ergo Momuli, quiescant matris cervicem rumpere & in patrios mingere cineres: Veteris intemperiei cristas retundant, si sapiunt, aliter eorum insolentia non verbis, sed verberibus coërcenda est. Veruntamen vt manifestius mundo innotescat effrenis horum dementia, quis tam est in eruditorum scriptis ignarus, quis tam a Musis alienus, aut a bonis literis tam aversus qui Poësin honestæ voluptatis speciem esse negare audeat? Voluptatem autem qui tollit, quin vitæ nostræ insidietur iustam suspicionem euitare nequit. Si quis hoc non videt vel ipso cœco multo cœcior iudicandus est. Præterea quis adeò rudis est vt neget Poësin esse numerum, numerum etiam ordinem, & ordinem de cœlo de-

fluxisse. Vnde cœlestis & diuina nuncupatur; vt Poetæ, sacri; vnde ille,

Et sacri vates, & Diuûm cura vocamur
Sunt etiam qui nos numen habere putent.

Nihil enim monumentis eorum augustius, nihil divinius, Contorta dissolvunt, abstrusa eruunt, & Gordii nodos enodant: primi sunt qui in natura altiores sulcos egerunt. Adeo vt Poetas, difficillima, de primis principiis, de Deo, de mundo, & similibus, problemata enucleantes, qui de iisdem rebus, postea scripsere Philosophi imitati sunt, & eorum authoritatem citare non dubitarunt. Quod etiam ad moralem (quam vocant) Philosophiam attinet, quis ex vniuersa scriptorum multitudine deprehenderit? qui humanæ vitæ præcepta & virtutum munia melius quam Poetæ nobis reliquerunt?

Adde quod insidiæ sacris a vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.

Ait ille. Et Horatius de Poetâ talia profert,

Torquet ab obscœnis iam nunc sermonibus aurem,
Mox etiam pectus præceptis formet amicis,

Re-

Recte facta refert, orientia tempora notis
Instruit exemplis, inopem solatur, & ægrum. &c.

De Oratoriâ facultate quid dicam? quæ ex Poëtices penetralibus, (vt qui de illius artis principiis tractârunt, Rhetores testantur) suam duxit originem; atque etiam cùm quamplurimos alios, tum præcipuè Homerum oratoriâ virtute eminentissimum fuisse, scribit *Fabius Quintilianus oratoriarum Instit. lib.* 10. *cap.* 1. Quæ cum ita se habeât, manifestum est quod Poëtices tanta est & dignitas, & vtilitas, & maiestas, vt sine hac ad summum perfectumque eruditionis culmen ascendere nemo possit. Dei dona olim iudicabantur Poëtæ, adeo vt eorum quidam ex Deorum prosapia geniti crederentur: Vnde apud *Ma*gnates & mundi Principes in honore sunt habiti. Lysander Lacedæmonius Athenienſibus inducias concessit dum Sophoclis funera exequerentur. Thebarum incolis captis, Alexander Magnus pepercit Pindari familiæ. Syracusani captiuos Euripidis gratiâ liberos dimiserunt, & Ptolomæus philopater templum Homero dedicari fecit. Vnde

Cura ducum fuerant olim regumque Poëtæ,
Præmiaque antiqui magna tulere chori:

Sanctæ

Sanctaque maiestas, & erat venerabile nomen
Vatibus, & largæ sæpe dabantur opes.
Ennius emeruit Calabris in montibus hortos
Contiguus pomi (Scipio Magne) tibi.
Nunc hederæ sine honore iacent, optataque doctis
Cura vigil Musis, nomen inertis habet.

Quid plura? cum communi omnium suffragio, perpetuis efferri laudibus Poëtæ merentur. Et tantum abfuit vt eos e Republicâ sua eiecerit Plato, (sicut fabulantur quidam) vt testimoniis eorum vsus, aliis etiam euoluendi doctissima illorum scripta, author suo exemplo extiterit.

Quid quod Paulus Apostolus eorum testimonia contra Ethnicos disputans vsurpauit? Dauid etiam Salomon & Iobus suos libros numeris concinnatos emisisse ferunt quãplurimi authores non contemnendi. Quid iam itaque sequitur? nisi vt desinant hi nebulones in antro Trophonii, in puteo Democriti, & in obscura Antiperisciorum regione delitescentes, Poetarũ scripta suis strigilibus perfricare; suæ maledicentiæ & dicacitati tandem finem imponant. Et in me sua ferocia spicula non vibrent, sacra Cantica nouâ sub incude commalaxantem, ne talentum

quod à Deo accepi, humi defossum sine hominum vtilitate tenere videat. Veruntamen omnibus vndique doctorum scriptis vapulantibus, lectum quis me putet dormire somnum? præsertim cum his neque labore neque ingenio sim comparandus. Cum illi Zoilorum obelos effugere non possunt: quis me Libitinorum furorē ac rabiem declinare posse existimet? Non dubito quin meà scripta Aristarchorum lituris expuncta fuerint, qui nihil nisi Tripodas ac Sybillina folia commēdant: Nisi tui nominis (Nobilissime Comes) dignitate primo impetu effuso, velut vespæ & crabrones, emissis aculeis illico torpescent.

Tuam tandem Amplitudinem precor vt hoc munusculum crasso (quod aiunt) filo, auersante-que *Minerua*, contextum, tam sincero accipiat vultu, quam benevolo datur animo: meque ab omni Calumniatorum, Canumque obgannientium, colluuie suâ allubescentium & affricantium, morsu, qui omnes in Cimmeriis secum tenebris cœcutire cupiunt, protegat, tueatur, & defendat. Vt tanquam sub alarum tuarum vmbraculo delitescens, pluta in propatulum edam: *Invitâ Invidiâ.*

Quod

PRAEFATIO.

Quod reliquum est a Deo optimo maximo quã ardentissimis precibus suppiex etlagito vt dotes, quas amplissimas T. C. concessit, conseruare & augere dignetur. Oxoniæ, e Collegio Iesu, 7. Calend. Nouemb. 1597.

Tuæ Amplitudini humilimè deuotus,

Gulielmus Vaughannus Mariduuensis.

In Ερωτοπαιγνιον pium Gulielmi Vaughanni *Maridunensis, duodecasticon.*

MAxima mortales subit admiratio mentes,
De terrâ, cœlo, syderibusque poli.
Aequoreis sumũs sophus admiratur ab vndis,
In medio terram firmiter orbe sitam.
Magnus Aristoteles causam trutinando refluxus,
Et pelagi fluxus, in mare mersus, obit.
Cœlica fatidicus miratur sidera vates,
Splendidaque in geminis astra locata polis.
Ip se sed, ô *Vaughanne*, tuum, doctissime, librũ,
Et genium libri, mitor, amiçe, tui.
Non ego te solus, verúm mirabitur orbis,
Dogmata si pergas pangere sacra. *Vale.*

Daniel Powel, Generos.

In idem.

SI decus eximium veteres meruère Poëtæ,
Furtiuas Veneris, qui cecinère faces:
Tum tu maiores, Vaughanne, *mereris honores,*
Mystica qui pangis scripta, Poëta sacer.
Cantica sacra canis, donas pia carmine vota,
Vnde tibi manant gloria, nomen, amor.

Non Papæ bullas non liuida ſpicula Zoili,
Tergemini morſus nec vereare canis.
Te ſacra defendet mala contra incommoda Muſæ:
Te, te defendet ſummus ab arce Deus.
Summus ab arce Deus pro te ſua fulmina mittet,
Momorum pharetras diſcutietque truces.
Macte animo, profer maiora volumina, Vates
Vertice ſublimi ſydera tange poli.

Samuel Powel in Artibus Magiſter.

IN EPOTONAITNION PIVM, AB OPTIMÆ Spei Iuvene, M. Gulielmo Vaughanno Maridunēli, conſtructum, Encomiaſticon.

HActenus Aönii ſiluerunt Numina collis,
Nec metra Phœbæa ſunt modulata chely.
Fons Aganippæus liquidis exaruit undis,
Auriculis vatum murmura grata negans.
Nempe fames auri fuit impietatis origo
Tantæ, Pierii cœcutiêre chori.
Nubibus at fuſis redeunt, iam, ſæcula priſca,
Aurea falcifero ſæcula digna ſene.
Mundanas contemnit opes chorus, indagat alta,
Fons Aganippæus iam fluit vbere aquis.
Doctus Apolline os ſequitur Vaughannus alumnos,
Scribit, & Orphæos, edit ab ore ſonos.
Sacra Britanniaco lætentur Numina Vate,

Vatèque lætetur terra Britanna novo:
Iam tibi vincta modis, quæ metra, sacerrime Vates,
Pangam? quâ laudes arte sonabo tuas?
Non mea Castaliis benè lymphis labra rigantur,
Nec mihi laurigeri Vatis acumen adest.
In me subsannat Parnassica scommate turba,
Et negat (heu) parili dulce poëma modo.
Ne fidus, fidum tamen aspernator amicum,
Sed cape Versificis pignora pauca rudis.
Cúm ludant alii numeris sua nænia barda,
Tu sacris gaudes reddere sacra sacer.
Quorum si iudex si censor & arbiter æquus
Esset musarum ductor Apollo, nouem,
Non tibi difficiles adytus reseraret ad amnem,
Bellerophontæus quem pede te sit equus.
Dulcia vbi ingeminat modulanti iubila cantu
Laureolum nectens turba nouena tibi.
Turba nouena tuum sacris caput irrigat vndis
Hinc & Iëssæi carmina Vatis habes.
Concordes versus & copia versibus apta
Insunt Hyblæum mel operata tuis.
Sal verbis, sale verba piis resonantque Camœnis,
Vt bené compositæ consona fila lyræ.
O raras Vatis dotes! o nobile pectus!
O quam Mœonii par tibi vena senis!
Huc confer gressus huc candida confluc pubes,
Et trahe dulcis luo gutture dulce melos.
Quo fel expellas, quo sedes mentis orexim,
Quo vere noscas suaue salutis iter.
Ex isto sacros latices haurito libello,
Authori grates symbola amoris agens.
Intereà, patrii Maridumi gloria Vates
Sis amor o Charitum deliciæque decus.

Gabriel Powell

In idem,

O Si donasset mihi carminis author Apollo,
Carmen, dulciſonam vel mihi muſa lyram;
Carmine non vllus modo nobiliore, Poeta
Nobilis, efferret nomen ad aſtra tuum.
Ne tamen ignoti contemnito pignus amici,
Iſta nec irato ſumito fronte rogo.
Sic tua cœlicolûm pater, o doctiſsime Vates,
Compleat omnipotens candida vota. Vale.

Richardus Brodrepp
è Med. Temp. Studioſ.

SALOMONIS CANTICVM CANTICORVM.

Cap I.

ECCLESIA.

Vtinam labris infigas basia Sponse,
Basia nectareo grata liquore magis!
O vtinam nostro circundes brachia collo,
Brachia Syrhonia candidiora niue!
Totus enim fragras suaui perfusus odore,
Hinc te Nympharum cœtus honore vehit.
Me trahe continuo post te charissime coniux,
Et cito virginibus te comitata sequar.

CANTICVM

In tua me duxti rex alta palatia tecum,
Gaudia quod peperit lætitiamque mihi.
Denigror ore, tamen (natæ Israelis amœnæ)
Eligor e multis millibus vna proba.
Enodem forma vitiis imperuia Cedrum,
Et Salomonææ vinco tapeta domus.
Quod maculer vultu, ne fastidite superbæ,
Nempe laboraui, sole tepente comas:
Tu vero cuius causâ, præcordia nostra
Intima flammatæ corripuere faces,
Dicito sub quanam requiescis arbore pastor,
Cuni medio Phœbus tollet in axe caput.
Cur etenim quasi mentis inops per dæuia curram,
Cur vager, armentum teque tuumque petens.

Christus.

Si me fœminei celeberrima gloria sexus
Ignoras, notas ingreditor casulas:
Ingreditor templum, populos vbi pasce gregatos,
Nescia nec fueris casta puella mei.
Te mea sponsa citis Pharaonis comparo rhedis,
Quæ sub secreto *Grammate* nomen habes:

Splen

Splendescis faciem suffusa pudore, smaragdum
Torquis & a collo pendet onusta tuo.

Ecclesia.

Cum rex accumbet mensæ inter fercula, crines
Gaudebit nardi fusus odore sacros:
Fasciculus mirrhæ nihil est, nil camphora, tellus
Engada quam reddit, nil mihi germen olet.
Tu mihi fasciculis herbarum gratior horti,
Camphora tu redolens, tu mihi germen oles,

Christus.

O quam te memorem virgo formosa, columbæ
Fulgent Chaoniæ lumina blanda tibi!
Lectus odoriferis, & amœnis floribus halat,
Tectaque cum tignis sunt laqueata cedris.

Ecclesia.

Sum veluti culto florens Hyacinthus in horto,
Sum Rosa quam cœli ventilat aura leuis,

Christus.

Inter dumosas vernant vt lilia spinas,
Inter & Isaci sic mea sponsa nurus.

CANTICVM

Ecclesia.

Vt plantas inter reliquas ad sidera mâlus
Surgit, sic inter sponsus ad astra viros.
Cuius delector spaciari sæpe sub vmbra
Sæpius & facili carpere poma manu.
In cellas duxit vinis vbi dolia fœta
Mille fuer: mihi basia fixit amans.
Pocula plena mero mihi ferte referte medelas,
Poma laboranti pauca dolore rogo.
Læua leuat capitis morbos manus, excipit vlnis,
Me fouet, ac ægrę dextra ministrat opem.

Christus.

Vos ô formosæ per capras oro puellæ,
Per damas, hædos, alipedesque greges:
Ne perturbetis manibus, strepituue sonorum
Sponsam, lassa leuat dum sua membra thoro.

Ecclesia.

Fallor? vox nostras an amici personat aures.
Imbibo quam notam mente tenace tenax?
Vt caper in saltus qui tendit præpete gressu,
Sic celer is sponsam desiliendo petit.

Sub

Sub muri quoties tegumento sedulus adstat,
Perque fenestratos aspicit ipse specus.
Fallor an hæc etiam mihi rettulit ore venito,
Ad sponsum citius, sponsa venusta, tuum
Præteriit gratâ vice crispida bruma capillos:
Tempora Lamethidis præteriere senis
Quâ, volucres docili modulantur gutture carmen,
Candida pars anni multicoloris adest.
Ver redit, & vegetat grossus, nubitque marito
Vitis, quam tereti cortice palmes agit.
Huc ades o turtur cui marmor præbuit ædem,
Huc ades, o animæ portio summa meæ.
Annue propitio, sponsæque illabere vultu,
Et tua dicta meâ mente repone precor.
Quæ vites lædunt, mortales, tollite vulpes
Dissimulatores igne crematè reos
Est amor in nobis agitante tepescimus illo,
Hic pia cælesti numine corda mouet.
Inuigilat sponsus distentis lacte capellis,
Donec ab Eoo Cynthius orbe micat
Accelerato gradus, vestigia corrige tarda,
Ocior & ceruo spes properato mea.

CANTICVM

Cap. III.

TEmpus erat, quô fessa solent animalia somno
Singula iucundo membra leuare simul.
Me nec durus amor, solito de more quietem
Complecti sineret, sub iuga corda premens.
Expecto sponsum puncto, me iudice punctum
Temporis hora foret, longus & hora dies.
Aureolis curro per eburnea colla capillis
Fluxis, in vigiles non bene cauta ruo.
Quò vaga te confers, aiunt, quem quæris? amicum
Pertrepidans, refero, quem colo corde pio.
Inde gemens abeo, subitò sed visibus offert
Sponsus, mille sono gaudia mille modis.
Gratulor inuento, mihi gaudeo, iubila fundo,
Ac hilaris roseis oscula figo genis.
Non prius e manibus dimittam sponsa maritum,
In matris ducam quâm sacra tecta meæ.

Christus.

Vos

Vos o formoſæ per capras ore puellæ,
Per damas, hædos, alipedeſque greges,
Ne perturbetis manibus, ſtreptuue ſonorum
Sponſam, laſſa leuat dum ſua membra thoro.
Vt vapor, ex vaſtis qui fu meus exit eremis,
Fallor an eſt compar deliciæ que meæ?
Non tam gratifluos olfactus mirrhea grana,
Nec fumata dabunt thura Sabæa foco.
Oſcula quæ figis ſunt fragrantiſſima: fragras
Non ſecus in mediâ ſpica Cyliſſa roſa.

Eccleſia.

Eois conſtant opero ſa palatia conchis,
Quæ Salomon ſtruxit ſumptibus alta fuis?
Grande ſatellitium, ſex denos nempe, locauit
Aſpera qui moueant hoſtibus arma, viros:
Ex Libano lectum fecit conſiſtere regis,
Fecit & inſignes, regia tecta, lares.
Fecit humum, muroſque thoros, inſternier oſtro
Et nitidis gemmis cuncta micare loca.

Ipſ

pſe cathedratus ſponſus manet inter amœnas
Nymphas, a ſponſa ſuauiolumque rogat.
Turba puellaris regis ſpectato coronam,
Quam ſuper impoſuit mater amanda comas.

Cap. IIII.

Chriſtus.

MEmbra pudicus Amor, mellitam Suada loquelam,
Dirigit & mentem docta Minerua tuam,
Lumina luminibus tua candidiora columbæ
Sunt, mihi quæ flammas ſemper amoris alunt,
Excellunt coccos longè tua labra rubentes,
Excellunt dentes & Salomonis ebur.
Quis non & teretes ſuras, & brachia laudet?
Quis te virgineum nolit amare decus?
O te fœlicem nimium, nimiumque beatam,
In cuius labes corpore nulla manet.
A Libani montis properato cacumine virgo,
Confer ab Hermonia rupe (venuſta) pedes,
Culmen & Amani celſum poſt terga relinque,
Quid tibi cum pardo, vulpe, leone, lupo?

Hei mihi, quam grauiter cor plumâ mollius armis
Ac ſi læthiferis ſauciat aſper amor.
Tu magè quam violæ, vites, vnguenta placebis,
Tu magè quam myrrhæ, balſama, thura, croci.
Tu mihi iucundo Libani iucundior amne,
Murmure qui grato grata per arua fluit.

Eccleſia.

Vos Auſtri, zephirique feri, date flabra ſecunda,
Vt rutilis fument thura cremata rogis.
Conferat vt coniux iter ad pomaria fructus,
Et legat à ramis pendula poma manu.

Cap. V.

Chriſtus.

LVx mea iam greſſum per amœna roſaria flexi,
Quâ leuis æſtiuas temperat aura comas
Quâ fons æternæ vitæ circumfluit herbas,
Auribus & reſonat ſibila grata meis.
Cum caſia tenero collegi pollice mirrham,
Collegi calamos, cynnama, fraga, roſas.
Lac ſorpſi liquidum, ſorpſi quoque rorida mella
Pocula pampineo fœta liquore tuli

Heu

Heus ſocii celebrate diem, gaudete, ſalite,
Paſcite membra cibis, paſcite corda iocis.
Fercula multa dapum, carcheſia multa falerni
Appoſui menſis, concelebrate diem,

Eccleſia.

Somnus adulator deſeſſos ſopiit artus,
Qui nunquam mentem ſopiat arte mea m.
Audio pulſantem ſponſum, nec ſomnia fallunt,
Audio dicentem, tolle marita ſeram:
Veſtibulumque aperito mihi cito, rore madeſcunt
Et caput & crines, tolle marita ſeram.
Corporis ornamenta mei numeroſa reieci,
Com: niſi dudum membra leuanda thoro.
Fontis aromaticis lymphis ſunt crura rigata,
Cum plantis quæuis pars & odore liquat.
Veſtibus aſſurgam num curſus amicta? lutoſo
Oſtia dum reſero puluere, fœdo pedes:
Intempeſtiuè venis, haud tibi conuenit hora,
Liminis & dicis tolle marita ſeram.
Me per veſtibuli tetigit data dextra foramen
Coniugis, & propero tollere læta ſeram.

Quâ

Quâ mihi laxatâ ne ſubuolat illius vmbra,
Quærenti vt prendam tendo retendo manum.
Nil niſi tenſa manus cedentes arripit auras,
Erro, ſed errando tangor amore viri.
Inter & errandum cuſtos venit obuius atrox,
Qui me denudat verberibuſque premit.
Vos rogo virgineæ turbæ, charæque ſodales,
Quas mihi coniunxit fœdere certa fides,
Significate viro ſi forte videbitis illum,
Quod mea corripuit flammeus oſſa vapor.

Turba Iſraelit.

Quem quæris toties, quem magnis laudibus effers,
Signa refer ſponſi regia virgo tui. *Ecclesia*
Quem quæro toties, quem laudibus effero magnis,
Eius inexhauſtas oro notate notas.
Splendidiora nitet radiis ſolaribus ora,
Liliaque exuperant verna, colore roſas.
Quod parit vnda Tagi caput eſt illuſtrius auro,
Par caruo, ac hebeno nigra caprona fluit.

Lumi

Lumina luminibus ſunt candidiora columbæ,
Excellunt malæ punica mala magis.
In labris Charites regnant, odor exit ab illis,
Qualem proſpirat ſtactea mirrha focos:
Aureus exornat digitos, ſinuoſus & ambit
Vndique completo circulus orbe ſuo.
Dotibus innumeris naturæ pectus abundat,
Saphiros niueum vincit & aluus ebur.
Marmoreo lapidi præſtant albedine crura,
Non dabit his gemmas aurificina pares.
Cætera quid memorem? memorantem copia tardat,
Cum loquitur liquidum nectar a b ore fluit.
Concedat calamita ſtorax, libanuſque marito,
Concedat ſponſo Cedrus acuta meo.
Sic eſt quem quero, ſic eſt quem laudibus amplis
Effero, ſic mentis maxima cura meæ.
Quo ſine ſumma poli piget (heu) conuexa tueri,
Quo ſine triſte mihi viuere, dulce mori.

Cap. VI.

Turba Iſraelit.

REgia virgo refer nobis quò vaſit amicus,
Tardabunt noſtros otia nulla gradus.

Eccleſia.

Ecclesia.

In nemus auriferum dudum descendit amicus,
Vt legat *Hesperidum* citrina mala manu.
Narcissos, violas, amaranthos, lilia, corna,
Carpat ab arboribus mitia poma, nuces.

Christus.

Suauior areolis, *Thyrsa* speciosior, altis
Mœnibus es Solymes pulchrior alma soror.
Sæuus amor pungens magè me deterret amantem,
Quam rigidus *Mauors* aspera tela rotans.
Ora pudicus Amor, mellitam Suada loquelam,
Dirigit & mentem docta *Minerua* tuam.
Irradiat pupilla oculis christallina castis,
Purpura cum citro pingit vtrasque genas.
Excellunt coccos longè tua labra rubentes,
Excellunt malæ punica mala magis.
Ter sunt in numero vicenæ semper amœnæ
Stemmate reginæ, sponsa venusta, tibi.
Innumeræ lectum circumstant ordine nymphæ
Participes thalami, casta puella, tui.

CANTICVM

Has omnes ſuperas forma, & virtute puellas,
In te dilectæ ſtat genitricis amor.
Læta tibi ſoli ſoluunt præconia nymphæ,
Læta tibi recinunt pſalmata, mille modis.
Exerit vt roſeos coniux Tythonia vultus,
E lecto ſurgit ſic mea ſponſa ſuo.
Inter vt aſtra poli ful geſcit luna minora,
Sic ea virgineo præſtat honore choro.
Cynthius obſcuras fugat vt ſplendore tenebras,
Sic pellit maculas immaculata procul.
Vexillis hoſtes vt terrent agmina dira,
Incutit horrorem ſic Sulamitha malis.

Eccleſia.

Per ſilueſtre iuuat veſtigia ferre nucetum,
Vt videam iuxta flumina, mala, nuces.
Vt videam creſcat numquid mea vinea fœtu?
Numquid terra ferat ſemen arata nouum?
Deflexi curſum rapido poſt ocior Euro,
Et celeri petii templa beata pede.

Chriſtus.

Cur

Cur das terga fugæ, formosa reuertere sponsa,
Amplexus capiat dextera nostra tuos.
Cur spectatis eam, quæ formidabilis vllis
Est exercitibus plus Sulamitha virûm?

Cap. VII.

O Tua quàm ducis vestigia passibus æquis,
O quam directos, regia virgo, pedes!
O quam verticulos femorum natura creatrix
Conformat! quæuis pars tibi nexa manet.
Inguen habes calici par dulci nectare plenæ,
Ventriculum similem frugibus alma teres.
Vbera & vberibus sunt candidiora capellæ,
Vincit ebur ceruix alba colore tua.
Cœrula Barthrabbim prode limina, lumina, stagnâ
Sunt Hesebonæis luciliora vadis.
Perpulchram Libani nasus quoque denotat arcem,
Vnde Damasceni conspiciantur agri.
Carmelum æquiparat caput, ostrum compta caprona,
Gratia iucundans pingit vtrasque genas.
Palma velut fluuii pullescit ad ostia vernans,
Sic crescis fructus religionis habens.

Quales

Quales gemmatos reddit vindemia botros,
Tales mammarum, pectora casta, sinus.
Non tam fragrantes olfactus camphora spirat,
Quam caput vnguentum (dulcis amica) tuum.
Mellea roratum diffundat vina palatum,
Gutture quæ cupido turba ministra trahat.

Ecclesia.

Mens mea sacratis percussa cupidinis armis,
Iamdudum sancti flagrat amore viri.
Ergo tibi placeat sacros lustrare recessus,
Quâ variis herbis Protheus ornat humum.
Scilicet hic lusus peragamus amoris amantes,
Dum nox prætereat more fluentis aquæ.
Nempe soporifero mandemus membra grabato,
Donec ab Eoo prodeat orbe dies.
Tunc vtrum vitis directè iungitur vlmo,
Visemusque refert quomodo grana solum.
Tunc tibi monstrabo distentas lacte capellas,
Tunc tibi monstrabo brachia, crura pedes.
Tunc tibi Mandragoras, fragrent rosa, spica, papaues,
(O desiderii spes generosa mei)

Puniça

Punica perpetuam comedes reparantia vitam,
Pomaque percipies quæ mea villa tenet.

Cap. VIII.

OVtinam possem tibi figere basia sponse,
Quem mihi dilecti fratris habebo loco.
Quem cito deducam laqueatas matris ad ædes,
Vt virtutis iter sedula scire queam.
Vt restis etiam tibi mulsa reposta ministrem,
Vt tibi dem fructus (mitis amice) manu.
Læua leuat capitis morbos, manus excipit vlnis,
Me fouet, ac ægræ dextra ministrat opem.

Christus.

Vos o formosæ per capras oro puellæ,
Per damas, hœdos, alipedesque greges,
Ne perturbetis manibus strepituue sonorum,
Sponsam, lassa leuat dum sua membra thoro,
Quæ precor e vastis vestigia traxit eremis?
Quæque innixa viro candida virgo fuit?

Inter odoriferas frutices te nonne, puella,
Inueni? peperit hîc vbi mater onus.
Pectore, signa velut cedrinis inſculpta columnis
Pone cathenatum me Sulamitha, tuo.
Omnia vincit amor, mors & concedit amori,
Accipit a cœlo numen honeſtus amor.
Adde faces facibus, flammatis ignibus ignes,
Fortior his peretrans ignis amoris erit.
Non aqua reſtinguit fluuiola Cupidinis ignes,
Nec minus inflammant pectora noſtra truces.
Non prece, vel pretio deflectitur ipſe, vel irâ.
Non timet horriferi tela Cupidò ducis.
Eſt mihi parua ſoror, clauſas habet illa papillas,
Quid dicam quando poſtulat anſa ſonos?
Tempore venturo ſi murus aheneus eſſet,
Hunc ſuper argento regia tecta ſtruam.
Tempore venturo ſin eſſet ianua forſan,
Cum cedro niueum condecorabit ebur.

Eccleſia.

Ipſa ego ſum murus, turres ſunt vbera tanquam,
Et ſponſi tantum viuo fauore mei.

Hinc

Hinc prope sistit apud Baalhamona vinea regis,
Pro quâ custodes aurea mille ferunt:
Annua mille ferunt & pro mercède lucrantur
Sæpe laborandi, rite ducenta sibi.

Christus.

Sponsa coloratos mea quæ spaciare per agros,
Adstat apud limen iam sociata phalanx.
Vt bibat aure tuum cygnæo carmine carmen;
Dulcius, & bibitum sæpius ore ferat.

Ecclesia.

Ad montes diuerte gradus o dulcis amice;
Et per odoratos hinnulus ito locos.

PARAPHRASIS IN PSALMOS SELECTIORES ALIQVOT.

BEATVS VIR. PSALM. I.

O Ter fœlicem, qui non accommodat aures
Sacrilegûm dictis, nec male carpit iter.
O ter fœlicem, qui non in sede quiescit
Ridiculâ, vnde tonant impia verba mali.
O ter fœlicem, qui semper ruminat imo
Corde Panomphæi dogmata sacra Dei.
Ille velut Libani viridis quæ in culmine cedrus
Surgit odoratis candida ad astra comis
Florebit, sortis nec fata verebitur atræ:
Florebit veluti in margine planta vadi:

Aestiuo

A estiuo cuius folia arida facta calore,
Non & vligineo frigore læsa cadent.
Defluet at prauus propriâ perterritus vmbrâ
Iudicii poterit stare nec ille die.
Occumbet similis glumæ quæ deperit Austri,
A terrâ & flabris exagitata Noti.
Munere nam iustum Deus ipse remunerat æquo,
Sed Phlegetontæo mergit in amne malum.

Psalm. 6.

Domine ne in furore.

O Deus iratus noli reprehendere onustum
Me, noxis multis criminibusque grauem:
Sed miseri miserere mei, qui corpore & intus
Aegroto, medicas porrige quæso manus.
Summe reuerte parens, animam de faucibus Orci
Eripe, vt extollam nomen honore tuum.
Teque tuumque canam decus indelebile versu,
Dum mea vitalis possidet ossa calor.
Nemo in Cimmeriis laudes memor accinet vmbris,
Nec tua Lethæas fama subibit aquas.

ertæſus vitæ, nocturno tempore luctu
Tabeſco, & ſalſo ſtrata liquore lauo.
ormoſe vt florens Cereale papauer in horto
Marceſcit, crines ſole tepente ſuos:
ic lachrimis teritur iuuenilis forma rigata,
Sic ego conſumor territus hoſte miſer.
Vos procul ite omnes operantes vana, querelas
Audiuit placidus nam Deus ipſe meas.
udiuit Dominus, qui nutu dirigit orbem,
Qui facili iuſtas imbibit aure preces.
uique cruentatos inimicos ſtrage ſtagellat
Annuit oratis Iupiter ore pio.

Pſalm. 10.

Vt quid Domine.

CVr abes alme Deus? cur deſtituiſque clientes?
Prælia cur infert Papa cruenta triplex?
Cur Antichriſtus nos læthifer ore tyrannus
Perſequitur, vinclis carceribuſque premit.
n caput illius promiſſam verge ruinam
Incidat vt præceps in Phlegetontis aquas.

Quod

Quod placet, ostentat fieri, quod et effera, iactat,
Mens cupit, in fixo cunque manere statu.
Sic vult, sic propriâ stat pro ratione libido,
Omnia iudicio destruit acta suo.
Fœdus init Sathanæ factis consentit iniquis,
Quæ (pater omnipotens) tu reprobare iubes.
Terrarum Dominos blandâ prece commouet, irâ
Intumet, & nobis horrida bella mouet.
Cui lex est odio, ventosa superbia curæ,
Cui cordi falsæ semita falsa viæ.
Obsequiosa mihi (dicit) sors fronte serenâ
Arridet, cœli nubila densa fugat.
O ego subiectos numerem quot faustus amicos,
Si foret in rebus pensiculanda fides:
Hos apud obryzam, si forte necesse, probarem,
Sicut per rutilum fulua metalla focum.
Vicinos spoliabo bonis, spoliabo propinquos
Si commune meum non gradientur iter.
Non natalitio viuet stercosus egenus,
Rusticus, aut planæ simplicitatis amans.
Non Deus aduerso mea carbasa flamine pellat,
Tela retorquebo robore torta meo.

PARAPHRASIS

Iupiter astra regit: Deus alter dirigo terras,
Aemulus in tantâ condicione Ioui.
Talia fauce spuit, tales ex ore salivas
Proiicit, & votum sesquipedale labris:
O immane nefas, o ampullacee serpens,
O squamosa vomens vipra venena nigra.
Aspice chare pater, Deus aspida tolle draconem
Spirantem, furias concomitetur atrox,
Quæ blasphemandi datur illi occasio? quare
Subdolus implexos cogitat arte dolos?
Dum quasi cunctipotens violantes iussa trinumen
Absoluit, verbum vendit & ære tuum,
Tunè potestatem donasti? tune tridentem
Et claues, cœlum quæ referare queant?
Nonne vides? certè vidisti, hæc ante suprema
Singula contingent iudiciique diem
In te suscipies expertus iuris egeni
Causam, tu dubium discutiesque graue,
Enerua vires, virus purgato malignum,
O iudex animum debilitato reum,
Qui rex æternum gentes dominaris in orbe,
Vindice quô premitur turba profana nece.

Annue

Annue propitio miserisque extorribus ore,
Pauperis imbellâ voce mouere viri.
Non Sathanæ insanctos patrare tyrannida proceres,
Nec patitor vitrico subdere colla iugo.

Psalm. 94.

Deus vltionum.

O Qui viuificas electos numine sancto,
O qui præcipitas in Phlegetonta malos:
Altitonans, vindex, dux, concute, tollito, merge,
Tecta, hostes, oras, fulmine, peste, mari.
Quid? num perpetuam Papam traducere vitam
Amne nec immergi somniferente sines?
Quid? num perpetuo cristas efferre superbas,
Nec tandem reprimi sorte tonante dabis?
Quam tibi distinxti populum lethaliter armis
Impetit, impetibus sint procul arma tuis.
Lurida priuignis data clam sunt toxica potus,
Fit vidua infœlix, quæ prius vxor erat.
Amplius & blaterat conuitia talia, cernes,
Non Deus hæc (socii) progrediamur, hui.

Nam Deus est tacitus, non iudicat, ipse quietus,
Non res humanas officiosus aget,
Petra dedit Petro, mihi mundi Petrus habenas:
Per me pandetur ianua clausa poli.
O Antichristi mores o *poimena* cœçum
O dignum pœnâ, Tantale sæue, tua.
Quò ruis o demens? quò, quò furibunde Licaon?
Contendis gressu? cede tyranne Ioui.
Num Deus est surdus qui nostras temperat aures?
Num qui constituit lumina cœcus erit?
Num qui quotidiè populis alimenta ministrat
Non castigabit verberibusque premet?
Mortales quicquid meditantur cordibus imis,
Hoc fore consilium noscis inane Deus.
Quos tu punis amans, o terque quaterque beatos,
Quosque reuiuiscis nectare iuris alens.
Candida figniferas ducet patientia mentes
Rebus in aduersis, dum mala turba perit.
Non etenim populos sine fine relinquet egenos,
Hostiles poterunt qui tolerare minas,
E mediis armis iustos deducet ouantes
Eius vt inuictum nomen honore vehant.

O Deus

O Deus, Hispanos quis belligerabit in hostes?
Quis, nisi tu, franget spicula torta Caci?
Ni succurrisses mihi mille probrosa ferenti,
Essem iamdudum barbara præda lupo.
Cum mea crediderim vestigia lapsa fuisse,
Recta reduxisti religione regens.
Ima doloriſici penetrarunt viscera morbi,
Sed mea sanarunt viscera dicta tua.
An non improbitas? non improba facta cathedra
Calcetur vilis sub pede tersa tuo?
Conuenêre duces, vulgique probante coronâ,
Multatus pœnâ est grex tuus ante thronos.
Tu mihi patronus Deus es, tu dulce iuuamen,
Virtus, spes, animæ lux et amica meæ.
Altitonans, vindex, dux, concute, tollito, merge,
Tecta, hostes, oras, fulmine, peste, mari.

Psalm. 126.

Nisi Dominus ædificat.

NI tua celsa locet Dominus fundamina, frustra
Duratura putas tecta superba domus.

Mœnia ni ſolus noſtræ cuſtodiat vrbis,
Nil vnquam vigilum cautio magna iuuet.
Littus aras, lateremque lauas, ſi ſurgere mane
Feſtinas modicâ nocte quiete vacans.
Non panem comedes, ſomnos ſi rumpis inertes,
Quam, feret Eous Lucifer ante diem.
Quamuis te curæ teneant, ergaſtula quamuis,
Ni te cæleſtis ventilet aura, peris.
Poſt obitum ſobolis requiem dedit ille perennem,
Et ſoboli & ſeruis florida regna poli.
Exhorrent vcluti ſtrident & ad aſtra gygantis
Dura lacertoſi pila rotata manu.
Sic animoſa petit cœlum ſublime iuuenta,
Imbibit ac animo myſtica verba patris.
O fœlix, quicunque ſuam gerit hiſce pharetram,
Non is ſuccumbet cum fera fata tonent.

Pſalm. 131.

Domine non exaltat.

NOn altâ coram te mente ſuperbio, ſupplex
Pareo ſed monitis o Deus alme tuis.

Non

Non ſapio quiddam iuuenilibus altius annis,
Quod decet hoc cupio corde tenere bonum.
Tabeſcit veluti dirâ fame paruulus infans
Vbera, cum genetrix barbara, nota negat.
Sic anima ægrotat quaſi vulnere ſaucia lethi,
Cum ſermonis eget viuificantis opis.
Cum verbi ambroſiæ caret, & cum nectaris vſus
Indiget ætherei præſidiique tui.
Dogma Dei medicina mali, medicina doloris
Dogma Dei mentem dulce leuare poteſt.
Crede Dei dictis, tu ſic et habere ſalutem
Poſſis, cum medici deſeruêre grauem.

Pſalm. 52.

Quid gloriaris in malitia.

CVr te trine tyranne gloriaris
Exercere malam procacitatem?
Cur & proſequeris genus fidele
Verè Chriſticolas ciens Brtannos?

Quid

PARAPHRASIS

Quid? non igniuomam Tonantis iram?
Inuictâque manu verere torta
Spicula? ergo cadis nimis superbe
Fatis vindicious: Britanna turba
Ista conspiciet ferens cachinnos,
Et magnas tibi gratias rependet
O rex omnipotens salus Britannûm

Psalm. 45.

Eructat cor meum.

ERuctat fibris abstrusum flamine pectus
Sacrato, regi metra dicare nouo.
Scriba velut velox gestit plenissima lingua
Verborum, laudes articulare Dei,
Qui quondam indutus mortali corpore, probra
Pontificum passus pro grege *lytron* erat.
Cui sine fine canunt agiles præconia inusæ;
Gloriâ & vnanimes nomen ad æthra vehunt:
Quo non nobilior, quo non mansuetior vllus,
Quo non qui Mauors fortior arma gerit,
Oceano & cœli conuexis terminat ampla
Regna, gehennali non spolianda lupo.

Te (pie ſponſe) pater, ſummi moderator Olimpi
Diligit, & donat vela ſecunda rati,
Sic velut vndiſonis certus nauclerus in vndis,
Sic velut æquoreo ſis Cynoſura freto.
Balſameors ſpirat criniſque, & veſtis odores,
Lacteolæque manus myrrhea ſerta legunt.
Inter honorandas adſtat regina puellas,
Fida thori conſors (ſponſe venuſte) tui.
Aurea cui ſplendet cum ſyrmis inſtita, cuius
Verberat & niueos pulchrá cathena ſinus.
Cuius gemma comas, collum decoratque monile,
Ornant gemmati circuli vtraſque manus
Armillis adamante ſitiſque refulget elenchis,
Inter vt aſtra tubens luna minora face.
Imbibe verba tuo mea filia pectore, patris
Ex animo recidat dulcis imago tui.
Ex animo & natale ſolum depone, marito
Quidſis connubii fœdere iuncta ſacro
Huic ſoli pare, ſolum complectere ſponſa
Huic poſtponantur pignora auita domus.
Sic Tyrus Eoo fucatas murice veſtes
Coryc ioque dabit vellera tincta croco.

Dum

PARAPHRASIS

Dum leo Sarmaticis furibundus rugit in oris
Dum lupus agninâ pelle ſtolatus ouat:
Pocula dum ſcortum Babilonis plena propinat,
Faſcinat & tumidos ebrietate viros,
Dum ferus electis Gerion fera bella minatur,
Sponſum ſacra coles o Sulamitha tuum.
Vna fides vobis, amor vnus, pectus & vnum,
Vnaque corporibus vita duobus erit.
Sic tibi rex texto fertur velamine ſponſa,
Nymphis ancillis cincta ſerena ſuis,
Sic uice prudentum, fœlici prole, parentum
Mater abundabit fertilis ipſa tibi.
Suſcipies natos, his & diademata princeps
Sceptrifer impones vndique in orbe tuis.
Qui populos frænis poterunt cohibere ſuperbos
Omnia quos tollent climata laude duces.
Tu quoque ſponſa, vagâ per ſingula ſæcula famâ
Floreſces, critico non moritura die.

POEMATA QVAEDAM SACRA; E SACRIS LITERIS DESVMPTA.

ORATIO IACOBI.

Genes. Cap. 32.

O Deus Abrami, Deus Isacique parentis,
Auspice quo, natis coniugibusque fruor
Auspice quo, pecorum fœlix armenta reduco,
Auspice quo, vixit prosperitate socer:
Fratris ab incursu me protege quæso furentis,
Qui forti cinctus milite bella movet.
Ne patiare meas, hostem prosternere sponsas,
Nec natos seruos ense perire tuos.
Sic te tergemino simul extollamus honore,
Queis numero dixti cedere signa poli.

Oratio Mosis. pro populo Israelit.

Exod. 32.

O Pater auxilio cuius superavimus oras
Nil jacas, dele crimina nostra manu.
Quod vitulum veluti venerati numen, ad iram
Commotus iustè, confiteamur, eras.
Ne tamen insultent Phariæ regionis alumni,
Ducere dicentes te nequiisse tuos.
Hanc noxam rursus clementi mente remitte.
Ne simus Stygio præda cruenta lupo.
Te penes est nobis Cananæam reddere terram
Mellifluumque solum lactifluumque solum.

Oratio Iosuæ

Iosuæ Cap. 7.

IOrdanis siccis pedibus transiuimus vndas,
Et tulimus multos sub iuga nostras duces.
Nunc tamen (heu) rigido perculsi horrore fugamur
Nec Deus assueto more, timore leuas.

ORATIO ISRAELIT.

O si iamdudum bene cognita fata fuissent,
Non venissemus per vada fissa cito,
Surge Deus vindex hostes euertito nostros
Hebræum pessum nec decus ire sine,

Oratio populi Israelit.

Iudicum. Cap. 10.

QVam pater omnipotens, grauiter peccauimus (omnes
Ante manent oculos crimina mille reos,
Ad simulachrorum falsas sacrauimus aras
Sic nos delusit callidus arte draco.
Tu genitor nunquam tamen aduersare querelis
Singultus cœli cernis ab arce tui.
Perspice corda reûm, nostrûm miserere Iehoua
In rebus dubiis mente serenus ades.

Oratio Iehosaphatis regis Iudæ

Paralipomen. Cap. 20.

DVm sumus atrocis mutilati iudicis armis,
Dum timidum sontes stamus & ante thronum

ORATIO IEHOSAPH.

Dum malesuada fames ad turpia facta lacessit,
Dumque nigrat nostrum viscera dira lues.
O Deus aure reûm, cum pœnitet imbibe questus,
Clementi querulas & cape mente preces,
Suscipe mente preces, venit illachrimabile tempus
Quo mala plectentur crimina nostra nece.
Ecce Moabites sine causâ bella minantur,
Ecce Gygantæus nos chorus ense petit,
Quid? grassatores patriis e finibus illi
Eicient populos nec tegis ipse tuos?
Nonne vides hominum legiones mille quot oras
In nostras rendunt viribus atque minis,
Ergo surge, tuis & nos absconde sub alis,
Inque hostes timidos fulmina mitte manu,
Te penes est etenim celebris victoria lauro,
Te penes ac oleo pax redimita comas.

Oratio Iesaiæ.

Iesaiæ Cap. 12.

GRatia soluetur tibi quod mihi magne Iehouâ,
Es semel iratus, cessit & ira breui.

Est

ORATIO IESAI.

Est breuis ira furor, quam plurima gaudia præbes
Postquam, deles crimina scripta libro.
Tu mihi Messias solus mihi gloria sola,
Saluator solus, spes mihi sola Deus,
Spes mihi sola Deus, requies Deus, vnica cura,
Vnica lux, vnum robur, & vnus honor,
Vnus honor, mihi certus amor, certa anchora, certa
Turris, certa fides, certa columna Deus.
Illius e fluvio dulces haurito liquores,
Vt sint corda sacro numine plena tua.
Vt melius Domini diuulges nomen in orbe,
Imbibat & firmo pectore dicta chorus.
Gloria, laus & honos Domino soluantur Olimpi,
Qui dedit Hæbræo gaudia tanta choro.

Iudæ Machabæi contra Nicanorem Demetrii præfidem Oratio.

Machab. lib. 1 Cap. 7.

O pater Isacidûm columen, qui cuncta gubernas,
Te precor, errantis commiserere gregis,

ORATIO DO.

Non lupus hic rapiat Nicanor dentibus agnos,
Intonuit dudum verba profana tibi.
Angelicos demitte choros, impune nec iste
Atrox Sennacherib bella cruenta gerat.
Dextera deficiat, mordax et lingua secetur,
Compereant coruis cætera membra cibus.
Sic tua concelebrent omnes miracula gentes,
Agnoscentque pium te sine fine Deum.

Oatio Dominica.

O Pater, Empirei dominator maxime cœli,
Gloria sanctificet nomen honora tuum.
Accleret regnum, summa velut orbe voluntas
In terrâ existat præstita fixa tua.
Da nostrum modico saturari corpora victu,
Ne desit quicquid postulat usus opis.
Soluito noxarum nexus dissolue cathenas
Soluimus vt nostrûm debita multicium.
Nec Sathanæ illecebræ, nec vana catharmata mundi
Peliciant, sed nos eripe mille malis.

Te

Te penes imperium, penes omnipotentia numen,
Te penes & vinax laus sine fine manet.

Admonitio christiana.

Vigilate. Math. 24.

EXitus orbis adest, Chaos et fatale dici
Extremę subit, atra venit mortalibus hora
Invigilate viri mediâ nam sponsus Iesus
Nocte ppinquabit monet hæc mutatio mundi
Çommonet aduentum prænuntia clepsydra Christi,
Temporis articulos numerate accendite oliuis
Lampadas instructas, fatalia signa peracta
Sunt prope, quottidie percurrunt prodroma passim,
Monstra reuertuntur terræ noua chasmata, nymbis
Deucalionęis erebrum simul æquor inundat
Arua, nigrà quoties tegitur ferrugine Phœbus?
Purpureis quoties radiis argentea luna
Apparet? quotiesque polo rutilantia labi
Sidera vidistis cœlo armatasque caternas?
Inuigilate viri medià nam sponsus Iesus
Nocte propinquabit, rediens per nubila carnem

Iudi-

Iudicet humanam prosternentem ante tribunal.
Vepribus horrebit mundus totusque peribit,
Sulphur, naphtha cadent, ignisque bitumen ab alto
Et consummabunt gaudia cæde tyrannos,
Torrida Dæmonicos cruciabit flamma clientes,
Cum stridore suos dentes Ereboque crepabunt,
Nox vbi diuitibus par est & egentibus illis,
Qui semel audebant spoliare et furta tueri:
Qui curas autem mundi spreuêre dolosi
Purgatos vitiis iudex super astra locabit,
Hic vbi cœlestes modulantur carmina cœtus,
Gaudia & angelicæ celebrant hîç mille phalanges.

Oratio ad Iesum Christum.

SI mecum mediter (benigne Christe)
Dotes innumeras, tuasque laudes,
Me nondum maculis nigris solutum,
Indignum penitus, coinquinatum
Ia m proferre tibi sonos fatebor?
Sed (quod nosco) nites benignitate,
Quam sat versiculis poëta nullus

Exornare

Exornare poteſt, tuo roganti
Ergo lenis, amabiliſque ſeruo
Eſto (ſtirpe ſacrâ Dauidis orte)
Exaudito tuum precor clientem,
Qui ventrem Mariæ (o amor) ſubibas,
(O caſte Emanuel) cui morari
In terris placuit, cui & libenter
Ronchos, verbera, fata ferre viſum eſt,
Liberato gregem metu, lupanar
Romanum pedibus terens, necato
Cornutum, triplicem, ſenem catellum,
Paſtoremque malum, papam, antichriſtum,
Prædam da Sathanæ, tuum flagellum
Sentiat, niſi pœnitebit, iræ,
(O promiſſe Siloh oribus prophetûm)
Quo cœlum, penes eſt, ſolum, ſalumque,
Iudex e ſolio redi paterno,
Multis mundus enim laborat, annis,
Rugis decrepitus ſenilibus, vix
Conſtet, quot ſpecies iniquitatum
Vidi, prodroma quot peracta ſigna
Sunt, ergo e ſolio redi paterno.

(O Iudæ leo, fortis o Iesu)
Cuius nomine cuncta contremiscunt,
Couculca Sathanam, ferum draconem,
Virus cœruleum in tuos vomentem
Illiusque ligato portitorem,
Monstrum Tartareum, canem trifaucem:
Thesæos famulos dolis prehensos
Dissolue Herculea manu, diu te
Sperarunt animis videre rectis,
(O summi genitoris agne duldis),
Qui peccata hominum nefanda cæsus
Cunctorum proprio cruore tollis:
Scintillas Veneris libidinosas,
Affectusque graues aquis rigato
Sacris, vt melius tui gregatim
AEdes marmoreas petant ministri:
Ac vt possideant patris fauores,
Vitam qui faciunt beatorem.
(O custos generis vigil Britanni,
Lux de luce, Deo Deus create)
Inspira populum diu invocantem
Sacro flamine, quo polo fruatur,

Et quo percitus accinat, Iehouæ
Sit laus, pax homini, cruenta bella
Vanescant, vtinam diem lapillo
Hanc albo videam semel notandam.

Oratio Vespertina.

Diue sator rerum, reparator maxime gentis
Humanæ, facili suscipe mente preces.
Effice sincero me corde reuoluere nomen,
Perpetuas laudes, & benefacta tua.
Iu te tutelam latebrosæ tempore noctis
Suscipias oro (Christe benigne) mei
Ne memorem nigræ monstrosa pericla Gehennæ,
Ne me tergeminus deuoret ore Canis.
Ne cor Asmodeus fœdet pruriginis æstu,
Ne mea membra Venus pernicioſa iuget.
Hæc ego, Diue potens, precor e penetralibus imis
Pectoris, vt serui sit tibi cura tui.

ELEGIA

ELEGIA GRATVLATORIA IN honorem illustrissimi HEROIS. D. CAROLI HOVARDI, Comitis Notinganiæ 23. Octob. 1597. creati.

ANglia tolle caput. Londinum iubila funde,
Auribus o Thamesis sibila grata sona.
Anglia tolle caput, nec gaudia differ in horas,
Flagitat hæc Erato, flagitat alma Charis.
Aduenit Howardus magnâ stipante caterua,
Aduenit optatus: pragmata lude modis.
Hunc Regina gradu merito insigniuit honoris
Fit Comes illustris pragmata lude modis.
Pragmata lude modis pia, Notinganiæ lude
Facta tui Comitis: iubila mille sona.
Altius in Cancri tropicum Sol ito rubentis:
Te per Atlantiacas lætius effer aquas.
Horrida Ryphæe dissoluito frigora brumæ,
Mitior Hybernas et moderare minas.
Tu mage quam solitâ Piroeis radiante genide
Lampade, dum Comitis laus petit astra noui.

Plaude

GRATVLATORIA.

Plaude iuventa struens Hyblæo flore plateas
Per tua pumiceas compita sparge rosas,
Sparge rosas, violasque, graues suspendito curas,
Exulet â quâuis fletifer vrbe dolor.
Plaude iuuenta, polos penetrans clangoribus altos,
Plaude senecta ferens cantica, signa ferens,
Cernis vt arrident tibi lætis vultibus omnes
Gratantes gestu, carmine, voce, tubâ.
Cernis vt insigni frontem redimita corollâ
Inter Hamadriadas musula nostra salit,
Aspicis vt placido tibi Calliopæa meatu
Festinat donans carmine sacra sacro.
Aspicis o *Houarde* Comes clarissime, vulgus
Ob tantam sortem stare, videre, loqui.
Nec mirum: cum sis fundamen et anchora firma
Quâ penitus nauis deficiente labar.
In te conuersa est vulgi sincera voluntas,
Te colit admirans et tua gesta canit.
Te duce Bæticolæ deponunt arma, subacti,
Te duce Neptuni lurida monstra cadunt.
Te duce Caucasei pereunt alimenta tyranni
Cetis, frigescit te duce pugna foras.

Vindic

GRATVLATORIA.

Vindice te, tauri sensit tormenta Perillus,
Quem malè suffito condidit ære tholo.
Vindice te, naues, prædataque tela tenemus,
Quæ furtim secum traxit in antra Cacus.
Tu non maior erat, qui regna Sabinica Tullus
Deleuit, maior Marte nec Ancus atrox.
Cimbriacos Marius superans non maior: Etruscos,
Cum volscis spolians, non eques ante Cocles.
Scipio nec geminus, victricibus inclitus armis,
Sustulerit penitus Punica regna sicet.
Nec qui Neptuni per regna Duellius ille
Disiecit primus classica, maior erat.
Ore quid AEmilium, Fabium, Decumbue, Camillū,
Prodam: quid Gracchum, Fabriciumque loquar?
Cum tu maiores in te complectere dotes,
Pro patriæ valide bella salute gerens.
Sudas, nec pateris pessum decus ire Britannum,
Ingeris, & pugnas pro grege, lege, fide.
Publica priuatis præponis commoda rebus,
Pro patriisque voues Codrus vt alter agris.
O miras dotes Heroo pectore clausas!
O et vulgatum pectus in ora virūm!

Ignis

GRATVLATORIA.

Ignis vt attacto paulatim fomite crescit,
Et rutilâ lustrat luce remota loca.
Haud aliter virtus est viua senilibus annis,
Ac accensa tibi nomen in orbe parat.
Cœtera quid repetam tenui tua facta Camœnâ?
Exuperant vires hæc numerosa meas.
Copia tardat opus, sic mittam flumen in æquor,
In liquido conchas & numerabo maris.
Murice quis Tyrios? quis Seres vellere tentet?
Auro quis spoliet flumina sulua Tagi?
Quis te complecti potis est (Comes inclite) versu?
Seu quis depingat pragmata voce tua?
Quæ tibi pro meritis præconia digna rependam?
Symbola quę donem? quę tibi dona feram?
Non gemmas Crœsi, non picta monilia Crassi
Possideo, Cybeles ista propago tenet.
Munera Fortunę cum mens heroica temnat,
Sit tibi pro rutilo vellere velle meum.
Sit tibi pro gemmis breuis, arrha fidelis, Hypocpus,
Quam bene sincerus munit & vnit amor.
Vt quondam placuit data parvula mica Tonanti,
Sic tibi displiceat non mea musa, precor.

Quamuis

ELEGIA

Quamuis exili numero, sit & ordine vincta
Ame Romanâ nec bene tecta stolâ.
Accipe ridenti tamen (Heros optime) fronte
Et nebulas limâ splendidiore fuga.
Eripe fuscatas mendas ne Momus aduncus
Gutture vipereum fel vomitante trahat.
AEgide Palladiâ mendis defende fugatis.
Hostis ab incursu sic quoque sospes ero.
Sic tibi det Dominus, Tythonia tempora, cœli
Sicque tuo voto congruat omne bonum.

HVc ades o echo, resonabilis accola Cophis,
Dic mihi num strages Cerberus edit? ECHO. edit.
Sed nos HOVARDVS bene muniit. Ec. vniit. ergo
In iustos nunquam belligerabit? Ec. abit.
O monstri partes! Ec. Artes. O viscera. Ec. cæra.
O furiosa suis vis mage nota. Ec. nota.
Reddes mille (Comes) comes, renouabis. Ec. ouabis
Hispanos aris quod spoliaris. Ec. haris.
Quot paues arces! Ec. arces quot deprimis! Ec. imis.
Angligenum penetrat nubila clamor Ec. amor.
Non posthac classes hostis reparabit. Ec. arabit
Quod tu sis patriæ dulce inuamen. Ec. amen.
[illegible] Ec. [illegible] Cacum preme, ne caput exerat, Ec. errat.
Sic tibi sors sertum donet ouale, echo. Vale.

FINIS.

[illegible] Inuidia